

3 2044 107 251 548


HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED BY
CHARLES SPRAGUE SARGENT
1892

Frid. HOFFMANN

De

China Chinae Modo Operandi Usu et Abusu

Hal. Magd.

1694.


FRIDERICI HOFFMANNI, D.

Medici Elect. Brandenburg.
Profeſſoris Medicinæ rerumque naturalium Publici & Ordinarii,

PROPEMPTICON INAUGURALE,

DE

CHINÆ CHINÆ MODO OPERANDI, USU ET ABUSU.



I. N. J.



Uemadmodum uſus facit artificem, ſic quoque uſus medicamentorum facit Medicum. Concentratur in hoc pene omnis Medici experientia, utpote ſi medicamentoɹum vires & effectum per uſum probe perſpectum habet Medicus, ut ita morbo exquiſitæ ac probatæ virtutis opponere poteſt remedium, experientisſimus haud immerito dici debet. Arcanum itaque medendi in eo latet, ut uſu creberrimo facultates & vires medicamentorum Medicus cognoſcat, ſicque experientiam acquirat. Sine tali experienti tota Medicina vana, fallax & inutilis eſt, & Medici ſine tali experientia monſtra pariunt. Hæc Medicum commendat, nobilitat & in curatione pene omne abſolvit punctum. Aſt experientia hæc non ſit temeraria, ſed ſemper ad experientiam aditus fieri debet à ratione, quæ pondus addit, illuſtriorem & clariorem facit, illamque firmat. Sæpisſime periculoſe fallax illa experientia eſt, & fallaciter periculoſa, quæ in fabrica humana ſine ratione aliquid tentat, niſi quod longa die & uſu ſit probatum. Temerariæ experientiæ utplurimum mors eſt. Atrocisſimum ſane eſt facinus temerare humanum corpus, domicilium perpetuæ animæ ac ſpiritus ſancti habitaculum.

culum. Temeraria experientia periculi est plenissima, nisi Deus ipse interdum succurrat; sæpe enim ita periclitanti evenire videmus quod Mario apud Saluft. ubi ait: Hic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit. Videmus sæpe fortunam, seu mavis providentiam divinam adjuvare temeritatem, ut remedium ab empirico in mortem vel salutem propinatum, concidente jam morbo vel ipso robore ægrotantis prosit, quapropter experientia judicio & ratione stabilita sit oportet, & bonus Medicus rationalis usu & experientia medicamentorum imbutus esse debet, nam usus efficacissimus medendi Magister est. Imo secundum Cicer. Usus omnium Magistrorum præcepta superat. Cordatus itaque Medicus in id maxime omni animi contentione incumbere debet, ut longo temporis usu confirmatas adhibeat medicinas, illisque bene & cum ratione uti, & abusum seu usum intempestivum & præposterum omnibus viribus fugere sciat. Uti enim medicamentum tempestivo usu, certoque tempore datum salutarem & divinam opem præstat, sic præpostere adhibitum pestiferum evadit venenum, & in summum vitæ discrimen ægrum conjicit. Solenne hoc est omnibus medicamentis activis & efficacissimis, ut abusu degeneret illorum activitas in summam noxam ac perniciem. Nolumus in hac re demonstranda latius excurrere in exempla, suffecerit saltim attingere ipsum corticem chinæ qui quam utilis & salutaris sit in profligandis etiam pertinacissimis febribus, jam per usum & experientiam creberrimam innotuit, nihilo tamen secius irrationali & intempestiva exhibitione valetudinem infirmare, morbum augere & visceribus ingentem debilitatem & corruptelam usu continuato aspergere potest. Enatum hinc est quod hoc Medicamentum varia, uti etiam in aliis evenit, fata experta sit, dum nonnulli ejus usum

ac vires

ac vires ad cœlum usque attollere conati sunt, alii econtra id prorsus deprimunt, contemnunt, idem infamare audent, ob fatalem crebriorem eventum. Hæc autem est natura atque indoles potentissimorum remediorum, ut minus congrue ac inconvenienter adhibita magnum detrimentum sanitati ac vitæ inferri possint; Non tamen id medicamento imputandum sed magis perverso Medici judicio, qui illo medicamento rite, &, uti natura ac conditio morbi & subjecti exigit, uti nescit. Meam si interponere licet experientiam ingenue & aperte fateor, me insignissimam non solum in febribus debellandis, sed & in aliis morbis expedite curandis in hoc simplici deprehendisse efficaciam, ut jure illud omnibus huc usque notis medicamentis anteferre non erubescam. Pluris sane orco proximi hoc divino auxilio servati sunt, & quos vel ipse febres vel ex illis alii propullutantes gravissimi morbi jam dudum neci dedissent, illi auspicatissimo eventu sanitati perfecte restituti sunt, imo nullum simplex mihi cognitum est, quod tanta virtute polleat vel simile efficere possit. Secundum Dygbæum culpandus potius Medicus est, quam nobilis medicina si post ejus exhibitionem unquam revertatur febris, & sancte ille affirmat ex triginta quartana detentis, quos hoc solo remedio curavit, ne vel duos relapsos fuisse. Boylæus de utilit. philos. natural. P. 2. S. 3. Willis. cap. 6. de febr. dixit vix è centum unum hoc remedio adhibitio non convaluisse. Sunt qui surrogare student huic cortici radicem pentaphylli, corticem radicis juglandis, radicem tormentillæ, verum effectu longe infeliciori. Sunt quædam simplicia, quibus Deus & natura singulare quid & aliis non concessum tribuit. Illud autem maxime meretur admirationem, quod hujus efficacissimi medicamenti modus agendi & operandi nondum satis detectu & expli-

explicatus sit, cum Medici indiversissimas circa principium agendi secedant sententias. E re tamen medica putamus esse, medicamenti hujus non modo vires, verum etiam principum per quod illæ edantur exacte nosse. Suscepit itaque id in se laudadissimo conatu præsens Nobilissimus ac Clarissimus

Dn. Johann Balthasar Schondorff.

Medicinæ Candidatus Dignissimus, qui in Disputatione Inaugurali modum agendi Chinæ Chinæ ejus usum & abusum solide & satis docte tradere ac demonstrare conatus est. Ut vero constet candidati nostri vitæ integritas, cursusque studiorum laudabiliter gestorum pauca pro more recensebimus. Nactus est Patriam Halam nostram dulcissimam Anno 1672. d. 20. Octobr. Patrem habuit civem integerrimum ac honestum Dn. Christophorum Schondorff. Vectigalium Præfectum fidelissimum. Matrem omni virtutum genere conspicuam Margaretham Beati Sebastiani Staudigelii Centurioris Regis Sveciæ Filiam. Optimi parentes nihil prius nihilque antiquius habuerunt, quam ut adolescente corpore animus quoque lactetur ac nutriatur fundamentis pietatis, ac optimarum artium studiis ac disciplinis, quo demum ipsa Patria fructum sperare & petere posset, incitati maxime, dum in ipso ingenii singulare acumen â primis incunabulis & ad literas singnlarum affectum perspicerent. Statim itaque ipsum concrediderunt curæ non solum privatorum sed & publicorum Præceptorum, verum etiam Gymnasium nostrum patrium celeberrimum, ut frequentet, suaserunt in quo fidelissimam informationem Clarissimorum virorum Dn. M. Finckii Conrectoris & Dn. Prætorii Gymnasii Rectoris undiquaque Celebratissimi amplo deprædicat encomio, illisque multum se debere fatetur. In-

nutritus

nutritus itaque ſtudiis, quæ ad humanitatem ſpectant ſvaſu Dnn. Præceptorum ad altiora animum præparavit & Wittebergam ſatis celebrem Academiam ſalutavit, & ibi collegia primo philoſophica viſitare incepit Anno 1691, Menſ. Mart. Cum autem â primis annis ipſi arriſerit dulcedo artis Medicæ animum ad ſtudium hoc indefeſſa opera applicuit. Elegit vero inter alios ſibi Præceptorem Clariſſimum Dn. D. Bergerum. Profeſſorem Medicinæ meritiſſimum cujus informationi ſe totum tradidit, illumque ter Inſtitutiones, bis Phyſiologiam, Materiam medicam, Chymiam, Pathologiam generalem & ſpecialem cum annexa praxi ſolidisſime explicantem & docentem audivit. Verum ut apes ex variis & multis floribus vel colligere ſolent, ſic etiam aliorum Excellentisſimorum Medicorum collegia viſitavit. Quare Generoſum & longe celeberrimum Medicum Dn. Francum de Frankerau Medicum Electoralem & Profeſſorem Primarium eruditisſimum ſedulo audivit, ſolodisſime explicantem tunc temporis ipſius Hippocratis Aphoriſmos & ſimul Schmizii compendium Medic. Pract. Interfuit quoque collegio Medico-chirurgico ut & Phyſiologico Clarisſimi Profeſſoris Domini Vateri, quem etiam duas Anatomias in diverſo ſexu adornantem attento animo vidit & audivit. Diſputationem quoque *de Sarcomate monſtroſo & cancroſo* ſub Præſidio laudatisſimi Viri inſtituit Anno 1693. Reverſus ad nos ante anni dimidium, meæ informationi ſe tradidit & non ſolum lectiones publicas ſed & privatas ſedulo viſitavit, duabus Anatomiis diverſi ſexus ſedulo interfuit & collegium Phyſico-chymicum Curioſum fructu haud pœnitendo ſolertisſime viſitavit & *Fundamentorum Medicinæ Diſputationem ſecundam de uſu viſcerum, Secretione animali, Nutritione motu & ſenſu,*

nec

nec non Conceptione & fœtus Nutritione egregio cum applausu publice ventilavit. Cum autem ſtudiorum academicorum laudabiliter peractorum præmia expetiturus ſit, Facultati noſtræ nomen dedit, debita reverentia rogans, ut ad examina conſueta admitteretur. Conſenſu impetrato in prædictis examinibus optime ſeſe geſſit, unde cathedra unanimi ore ipſi fuit conceſſa, nulli dubitantes, quin eruditione ſua omnibus ſatis ſit facturus. Diſputationem autem Inauguralem de Chinæ Chinæ modo operandi uſu & abuſu ſub meo Præſidio ventilabit, cui ut Patroni hunc actum diſputatorium Magnificus Academiæ Senatus, omnium ordinum Doctores, & qui Arti ſervandorum hominum alias favent, honorifica præſentia condecorare non dedignentur eſt quod Publico nomine exoro P. P. ſub Sigillo Academico Halæ Magdeburg. d. 23. Jun. Anno M.DC.XCIV.



